

de te confidimus, studeas consummare. Securissime de nobis presumens, quod cuncta erga te, que dilecti fi(deles) nostri t(ales) amici tui pro te ordinare decreverint, faciemus.

303.¹

Aspiranti processui nostro celestis inspiracione consilii gracioso favori et benevole gracie apostolice dignitatis in filialis obediencie uberi affluencia ad, quam singulis et proximis [debemus]^a, graciaram et gratitudini[s] vicissitudinem copiosius inclinantes, ecce quod rel(igiosum) et providum virum t(alem) ad beatitudinis vestre pedes fiducialiter duximus destinandum, sanctitati vestre piissime supplicantes humilime cum affectu, quatinus verbis suis, que nostro nomine auribus vestris impresserit, ex innata vobis clemencia adhibere dignemini plenam fidem, ea si placet affectu benevolo et consueto exaudicionis effectui mancipando.

314.

Pro eo, quod tu ad nostra et imperii servicia te adeo voluntarium exhibes et paratum, regalis nostra serenitas graciaram actiones tibi referre non desinit multiformes, disponentes invicem vice versa hiis intendere cum effectu, que tuis tuorumque profectibus et honoribus fuerint profutura. Strennuitatem^b tuam rogantes attente, quatinus sic te prepares et accingas quod cum t(ali) die^c te maiestatis nostre conspectibus valeas presentare.

331.

Quia probi et constantis viri non mediocriter extollit et ampliat meritum suum liberaliter adimplere promissum, sincer(itatem) t(uam) ro(gamus) ple(nissi)mo cum af(fectu), quatinus t(alem) servitorem et fidelem nostrum dilectum in bonis illis, que sibi in nostra presenciam constitutus salva dimittere promisisti, pro nostra reverencia illesum omnimodis manuteneas favorabiliter et conserves, nullam sibi penitus in quietam dictorum possessione bonorum inferendo

a) Vielleicht so zu ergänzen. Auch E bietet keinen Anhalt.
b) 'strē' am Rand, in der Zeile Rasur T. c) Ueber der Zeile T.

1) Auch in E fol. 135' n. 194, Reg. imp. VI, 1435; vielleicht zur Sendung des Bischofs Johann von Gurk gehörig, Reg. imp. VI, 1193 a.